

RXVI b

in - 4°

13

SORBONNE



R XVI b 13 in-4o

31 VII 17

OPVSCVLVM.

Ludouici le Poët Monstiuillarij,
DE ARTE BENE
DICENDI,

In gratiam iuuentutis Lexouea.



PARISIIS,
Ex officina Prigentij Caluarini ad geminas
Cippas, in clauso Brunello.

1 5 5 2.

OPUSCULVM

Ludovici de Poff. Monftrillarij
DE ARTE BENEF
DICENDI

Le gratias innumeris Lexones.



PARISIIS

Ex officina Pignatij Caluarini ad geminas
Cipras, in clauo Brunello.

1 2 2

❧ Ludouicus le Post

MONSTIVILLARIVS, NICOLAO

Brisséo Doctore in Sacratissima Theologiæ

facultate, necnon vicario genera-

li reuerendissimi ac illu-

strissimi cardinalis

à Lotharingia

P. S. D.



TSI duæ res ad scribendum satis me induxerunt, (maçte animo vir,) una, ut ad exemplum Scipionis Africani nunquam minus solum fuisse, quàm cum solus, nec minus otiosum, quam cum otiosus sum cognoscas: altera, ut avaritiam ac iniustitiam, non mihi abstulisse animum, sed eo auxisse magis, quo in me fuerunt maiores, placide intelligas. Ad id tamen potissimum me induxit suavis, et iucunda Caij Plinij exhortatio, dicentis beatos esse eos, quibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legēda, beatissimos autē, quibus utrunq. Quorū alterum hoc die mihi velut ademptum est: alterum à Diis immortalibus mihi non prorsus denegatum. Itaque, ut de iis, quos docuimus, ac docebimus, (si Diis ita visum sit) benemereamur: Rhetoricam quandam audacius multo, quam prudentius ex nobis abire in lucem permisimus: quam tibi primæ virtutis, ac sapientiæ viro, (cui Deorum munere et)

A ij

facere scribenda, & scribere legenda datum est) dicare vo-
lumus, ut qui proprio Marte plurimas scientias & artes
profunde teneas, id de nobis feras iudicium, quod de alumno
tua incredibilis eloquentia ferre debes. Quare placide ac ple-
ne hoc opusculum accipias oro, & æquanimirate tua mihi
ad scribendum augeas industriam. Bene vale.

Ex schola Lexouea Cal. Octobris. 1552.

AD MOMVM.

MOME quid? insulta. turpe est compescere linguam:

Furta fer hæc ergo, quæ Ciceronis erunt,

Quæ Fabij, clama furto collecta nefando:

Vltra quid poteris, si tibi confitear?

Fac hoc erectis oculis, nihil inde queremur:

Cum tibi perfectum nil, nisi condideris.

Opusculum Ludouici le Post
 MONSTIVILLARII, DE ARTE
 BENE DICENDI.

Quid sit Rhetorica.



QUOD Græci ῥητορικὴν, nos artificiosam eloquentiam vocamus: quæ ministra, atque comes sapientiæ, tam præclara, tamque diuina est: ut ea magis, quam optima duce ratione homo cæteris animantibus præstare videatur: quod non tam esset in eo manifesta ratio, nisi quæ concepisset mente, promere etiam loquendo posset. Quid enim præstabilius, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit deducere. Quod præstare poterit is, quem Græci Rhetora, nos Oratorem appellamus: (eadem est enim nominis vtriusque vis) qui quæcunque res inciderit quæ sit dictione explicanda, prudenter & compositè, & ornate, & memoriter dicet, cum quadam actionis dignitate. Quare quum quæque ars aliquam sibi materiam proponat circa quam versetur: ut certis finibus, & spatiis noster interclusus sermo progrediatur, & via quadam ac ratione ad omnia, quæ præsentī instituto erunt necessaria se influat, primum Optimo Maximo duce de materia dicamus.

De materia rhetorices.

RHETORICE ars communis est, non aliquid proprium spectans: vaga & circuncurrens appellatur. Cuius ob id propriā, & certam materiam ponere difficillimum est. Fabius tamen fons secundus eloquentiæ, confutatis portentosis nonnullorū opinionibus, ac radicitus amputatis, qui orationē (quæ rhetoris opus est) eius materiam cōstituerunt: quum rem ipsam diu multūque secum discussisset, in hanc sententiam descendit, potissimum ut existimet materiam eius esse omnes res, quæ ei ad dicendum subiectæ erunt. Quod Crassus vir primæ eloquentiæ apud Ciceronem ante dixit. Sed Oratorem plenum atque perfectum eum esse dicam, qui de omnibus rebus varie copioseque dicere possit. Ex quo cōfici videtur, ut artis sit rhetorices multa perscrutari, & ex profundis summæ philosophiæ fontibus haurire plurima: quæ Methaphysici considerare debēt, atque contemplari. Attamen nos tam ardentibus eloquentiæ luminibus insaturabiliter delectati (tanquam extra carceres egrederemur) nulla in re volumus reclamare: ne quid insipidum exeat, stultam & audacem magis, quam constantem redolēs ætatem, quod tam insignium, & præclarorum principum doctrinam ementiatur. Sit ergo (ut Fabio & Crasso placet) materia res omnes, qui oratori ad dicendum subiectæ erunt: aut si hanc vagam, & circuncurrentem angustioribus terminis circumscribere mauis, res de quibus Orator varie & copiose dicere potest.

ex quibus quæstio confurgit: de qua, quod circa eam alia ratione ars ipsa versetur consequenter dicendum est.

De Quæstione.

QVÆSTIONEM definiunt quicquid ad disputandum, & dicendum proponitur. Quæstionum autem duo sunt genera, Alterum infinitum: Alterum definitum. Definitum est, quod hypothesin Græci, nos causam: Infinitum, quod thesin illi appellant, nos propositum possumus nominare. Causa certis personis locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Propositum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propositum pars causæ est, velut materia eius: Altera pars circumstantia maxima est, quæ est velut forma. Vtrunque quæstionis genus non eodem modo ad oratorem pertinet, quod ille sibi finitum proponat, infinitum autem assumat ad eius probationem. Quæstionum tamen infinitarum duo sunt genera. Vnum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ, quarum finis est scientia. ut si quæraturne ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum & pactione. Actionis autem huiusmodi exempla sunt, Sit ne sapientis ad Rempub. accedere. hæ posteriores, quod actionis sint ad oratorem pertinere videntur. Has ciuiles appellat Priscianus, quod communibus, & ad ciuitatem pertinentibus opinionibus subiaceant: In quibus (ait) oratores exercendi sunt.

Illas verò, de quibus antè diximus priuatas, proprias videlicet aliquarum disciplinarum & eas profitemium, ad philosophos solummodo pertinentes. Sed de his hætenus. quòd autem status omnis, quæstio sit, ad eius tractationem accedamus.

De Statu.

QUOD Græci *στάσις*, nos statum appellamus: quæ appellatio ducta est, vel ex eo quod ibi sit primus causæ congressus, vel quod in hoc causa consistat. Quem Fabius definit non primam conflictionem, sed quod ex prima conflictione nascitur. Quod similitudine illustrat, vt si quis dicat, sonus est duorum inter se corporum conflictio, errat, vt opinor. non enim sonus est conflictio: sed ex conflictione. Cicero tamen statum esse vult, in quo primum consistit quasi ad repugnandum congressa defensio.

De Numero Statuum.

COGNITIONIS quæstiones tripertitæ sunt, cum an sit, aut quid sit, aut quale sit quæritur. Horum primum coniectura, secundum definitione, tertium iuris & iniuriæ distinctione explicatur. Vnde sunt tria status genera: vnum coniecturæ, alterum finitionis, aliud qualitatis. Coniecturæ status, quo nec ne sit aut fuerit, futurumue sit quæritur. Finitionis, in quo quum de facto constat, de nomine facti quæritur, id est, quid sit, quòue nomine sit appellandum id quod factum est. Qualitatis, in quo de iure & iniuria quæritur, vbi de facto simul, & de nomine facti conuenit. Coniecturæ exemplum: an

Roscius patrem occiderit. Finitionis, an qui è loco non sacro rem sacram malo animo surripuerit, fur, an sacrilegus sit appellandus. Qualitatis, an Horatius à deuictis hostibus in urbem rediens, iure sororem suam lachrymantem ante portam Capenam interfecerit. Hæc sunt statuum exempla, quorum coniecturalis in verisimilibus, & propriis rerum notis, & rationibus probabilibus positus est. Vt deprehensus est Vlysses in sylua, extracto ense, & cruento, iuxta Aiacem mortuum. Ex quo infertur tantum coniectura, ab Vlyssæ cum fuisse interfectum. Finitionis in explicationibus & finitionibus manet. Qualitatis in legibus & consuetudinibus. Huiusce constitutionis postremæ duæ sunt partes, iuridicialis, & negotialis. Iuridicialis ea est, in qua æqui, & recti natura, aut præmii, aut pœnæ ratio quæritur. Negotialis verò, in qua quid iuris ex civili more, & æquitate sit consideratur. Illius duæ sunt partes. Altera absoluta, altera assumptiua nominatur. Absoluta est, quæ ipsa in se, non vt negotialis, implicite & abscondite, sed patentius, & expeditius recti & non recti quæstionem continet, cui iurisperiti præsunt. Vt si Orestes iure à se matrem occisam profiteatur: quod illa patrem occiderit. Absumptiua autem, cum ipsum ex se factum probari non potest, aliquo autem foris adiuncto argumento defenditur. Cuius partes quatuor sunt, comparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio. Comparatio est, cum aliquod factum, quod per seipsum non sit probandum, ex eo

cuius id causa factum est defenditur. Relatio criminis, cum reus id quod arguitur, alterius se inductum peccato iure fecisse demonstrat. Remotio criminis, cum eius intentio facti quod ab aduersario infertur, in alium, aut in aliud dimouetur. Quod fit bipartito: nam tum causa, tum res ipsa remouetur. Concessio est, per quam non factum ipsum probatur à reo, sed vt ignoscatur id petitur. Cuius duæ partes sunt, purgatio, & deprecatio. Purgatio, per quam eius qui accusatur non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet tres partes, imprudentiam, casum, necessitatem. Imprudentia est, cum scisse aliquid is qui arguitur negat. Casus est, aliqua fortunæ vis voluntati obstitens. Necessitas, cum vi quadam reus id quod egerit, fecisse defenditur. Deprecatio autem est, in qua non definitio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. Quæ locum non habet, nisi apud reges, principes & imperatores: quorum est ignoscere. Hic status generis, ex ratione defensoris, & firmamento accusatoris nascitur. Rationem vocamus, quæ causam continet: qua quidem sublata nihil controuersiae relinquitur. Firmamentum autem (distinguendi gratia) firmissima est ratio accusatoris aptissima ad iudicationem. Nam iudicatio, quàm Græci crinomenon vocant, ex rationis, & firmamenti conflictione quasi concursu exoritur: quam Cicero in Partitionibus disceputationem appellat. De iis ne plusquam satis dixisse videamur, ad cætera progrediendum est, cum primum de legitima constitutione

quidpiam dixerimus.

De Legitima Constitutione.

LEGITIMA constitutio est, cum ex scripto, aut ex scriptis aliquid controuersia nascitur. Quam in sex partes rhetores distribuerunt: scriptum, & sententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem. Ex scripto & sententia nascitur controuersia, quum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire. Ex contrariis legibus, quum inter se duæ videntur leges, aut plures discrepare. In hac controuersia obseruandæ sunt hæ quatuor regulæ.

Lex inferior, cedit superiori.

Lex generalis, speciali.

Lex humana, diuinæ.

Lex vetus, nouæ.

Ex ambiguo, cum scriptum duas, aut plures res significat. cum quid scriptor senserit, obscurum est. Iudicatur autem ambiguum, ex phrasi & figuris, aut ex ipsis artibus, vnde sumitur. Ex definitione, cum in controuersia est, quo nomine factum appelletur. Ex translatione, cum aut tempus differendum, aut iudices mutandos reus pronunciat. Hanc iurisperiti exceptionem appellat. Ex ratiocinatione, cum ex eo quod vsquam est, ad id quod nusquam scriptum est peruenitur. Hic definitiones tantum assignauimus, quod de his exempla quisque sibi fingere potest, aut ex vberissimo eloquentiæ fonte haurire. Itaque satis sit de constitutionibus. nunc quod materia huiusce ar-

tis de qua ante diximus in tribus causarum generibus, demonstratiuo, deliberatiuo, & iudiciali tota versetur, (vt in rhetoricis scribit philosophus) de his consequenter quidpiam pronuntiabimus.

De Generibus Causarum.

PRIVSQVAM de generibus loquar, opere pretium me facturū puto, si quam rhetores causam intelligunt, explicem. Sit ergo causa, actio omnis, quæ aut in senatu, aut in foro, aut in concionibus habetur. Hæc multiplex est, demonstratiua, deliberatiua, iudicialis. Vnde tria causarum genera sunt, demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale, de quibus quia diuersa est eorum ratio, separatim quidpiam scribemus.

De Genere Demonstratiuo.

GENVS nullum est orationis, vt ait Cicero in Partitionibus, quod aut vberius ad dicendum, aut vtilius ciuitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorūque versetur. Græci ἐγκωμιαστικός, nos à meliore parte laudatiuū appellamus. Cuius duæ formæ sunt, laus, & vituperatio. Huius vitia fontes sunt, illius tractatio è fontibus moralis philosophiæ haurienda, quæ tota in institutione vitæ humanæ posita est. Quadruplex autem laus est, & vituperatio, deorum, hominum, brutorum, & anima carentium. Vituperationis finis est turpitudine. Laudationis verò honestas. Nec id nobis repugnare videtur, quod Fabius libro tertio scribit, nec iis accesserim, qui laudatoriam materiam hone-

storum, suaforiam vtilium, iudicialem iustorū quæstione contineri dixerunt. Scio enim in deliberatione nonnunquam honestatem, vt in laudatione vtilitatem, in iudicio simul omnia tractari. Veruntamen, quod sæpius in laudando honestas versetur demonstrationis finem rhetores posuerunt, quam ob oculos semper habere debemus. Nihil etiam contra nos facit, quod in Partitionibus Cicero huius generis delectationem finem constituat. Quid enim absurdi sequitur, si honestas causæ, delectatio motus finis esse constituatur?

De Deliberatiuo Genere.

DELIBERATIVVM genus suasionem, & dissuasionem sanctissimas, atque ciuitatibus bene constitutis vtilissimas complectitur: quæ sunt de futuris. nam hæc solummodo cadunt in deliberationem. Huius generis tria sunt capita. Si enim quis rē, aut causam agit honestam, vtilem & facilem putauerit, statim eam persuadebit. Quod si dissuaserit, omnia contra. Honestam causa dicitur, ex qua splendor aliquis, atque illustris honos in eos qui aliquid gesserunt, emanaturus sit. Vtilis, quæ pro conseruatione patriæ, & vtilitate communi suscipitur. Facilis, quæ breui tempore, & minimo labore impensa absoluitur. Nonnulli tamen sunt, qui vtile subtrahunt, quod nihil honestum videatur, nisi sit vtile. Ratio auditorum habenda est. Nam si ipsi eruditi sunt philosophi, satis erit susceptam causam, honestam ostendere. Illi enim ab vtilitate non disiungunt honestatem. fin a-

puđ imperitos sermo ſit, minime ſatis . Finis autem huius generis , dignitas , coniunctus ſcilicet virtuti ſplendor . Nec pugnat quod ſuperius vtilitatem dixerim: nam duplicem finem rhetores ſtatuunt: Suaroris dignitatem, auditoris vtilitatem , cui ſeruire tenetur orator. nec etiam contra nos quidquam poteſt, quod ſpes & metus fines motus eſſe dicantur.

De Genere Iudiciali.

IUDICIAL E genus duobus conſtat officiis intentionis, & depulſionis, quæ ad integritatem Rerum publicarum plurimum faciunt. Præſtantior tamen eſt accuſatione deſenſio . vnde parens eloquentiæ bonis ciuibus defendendis , quam malis accuſandis ſe dare maluit : in quo vis eius elucere maxime viſa eſt. nam ille haſta ſemper in manu collocata, arietes opponebat: vt conſtanter defendendo, & fideliter ſuſtinendo de ſuis ciuibus optime mereretur. Huius autem generis finis eſt æquitas, quam ob oculos ſemper , & vbique ſibi proponere debent iudices . Sæuitia autem , & miſericordia motuum fines eſſe pronunciantur.

At ſi quis plura genera tribus prædictis velit enumerare, primum videat, qua ratione vtatur: ne quid, vt portentofus ſophiſta, & impurus calumniator contra religioſum nomen eloquentiæ turpiter inducat. Non enim honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum genera cauſarum dici debet, etiam ſi quibusdam id placuerit. Nam genera ſunt accidentium cauſarum, quæ in illis prius dictis continentur. Nūc

igitur explicatis omnibus, quæ mihi de generibus causarum dicenda erant, quia rhetorice totum quoddam est in quinque partes distributum, de partibus eius conuenienter aliquid dicere poterimus.

De Inuentione Rhetoricæ.

TOTA oratoris vis in his quinque partibus posita est, inuentione, dispositione, elocutione, memoria, & pronunciatione. Inuentio est rerum verarum, aut verisimilium excogitatio: quæ causam probabilem reddant. Per res sententias graues & philosophicas intellige, quæ plurimum luminis tribuunt orationi. intellige etiam locos, ex quibus argumenta depromuntur apta ad fidem faciendam. Argumentum quanuis rationem paratam fidei faciendæ. Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso de quo agitur herent: alii assumuntur extrinsecus, illi infixi, hi vero assumpti vocantur. Infixi sunt, ut definitio, partium enumeratio, nominis informatio: affecti demum ad id, de quo quaeritur, ut coniugata, genus, forma, similitudo, differentia, contraria, antecedentia, consequentia, repugnancia, causæ, effecta de causis, comparatio maiorum, parium, minorum. A definitione, quæ quid sit id de quo agitur, ostendit. ut probaturus liberalitatem virtutem, Liberalitas est habitus electiuus in mediocritate consistens, ergo liberalitas virtus est. A partium enumeratione, hic seruus, quem tibi vendicas, aut verna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus, non autem verna tuus, non emptus,

non donatus, non testamento relictus, non ex hoste captus, igitur alienus. A notatione nominis, ut temetum est, quod mentem tenet, vel tentat. Ciuitas est, ergo ciuium vnitas. A coniugatis, ut iuste agit, ergo iustus est. A genere, quod sub se formas oppositas complectitur, ut animal hominem & brutum, ut argentum omne mulieri legatum est, ergo pecunia numerata legata est. A forma, quæ generi subest. ut homo est, ergo animal est. A differentia, ut Socates est particeps rationis, & morti obnoxius, ergo homo. A contrariis, quæ sæpius Cicero accepit pro oppositis, quod eorum omnium similis in argumentando ratio est. ut frigus viget, non est ergo æstus. ut Catilina nepharie egit in Rempub. Cicero igitur præclare. A similitudine, quæ rerum est diuersarum eadem qualitas. ut terra, quo melior est natura, eo magis corrumpitur si negligatur: ita ingenia, nisi recte excolantur, quo sunt fœliciora, eo pluribus vitiis inquinantur. Ab adiunctis, timore correptus est, ergo paret. mortuus est, ergo pallidus. Ab antecedentibus, bellum est, ergo futura strages. A consequentibus, peperit, ergo cum viro concubuit. A repugnantibus, amicus est, & mihi nocere vult. inimicus est, & mihi prodesse. A causis, sol lucet, ergo dies est. Ab effectibus, nox est, ergo sol à nobis recessit. A cōparatione, à maiori primum ad minus, ut si quis duos Aiaces vna vincere potuit, alterum separatim vincere poterit. A pari, si centum homines arcem quandam expugnare potuerunt, & centum alii earundem virium

illam expugnare poterunt. A maiori, si salus vnus
 vrbis regi curæ est, totius regni salus, & integritas
 regi curæ erit. Extrinsecus autem ea dicuntur, quæ
 absunt, longèque disiuncta sunt. Ea Cicero etiam in
 Partitionibus remota appellat. vt testimonia, quo-
 rum duo genera facit, diuinum, & humanum. Di-
 uinum, vt oracula, vt auspicia, vt vaticinationes, &
 responsa sacerdotum, auspicum, coniectorum. Hu-
 manum, quod spectatur ex autoritate, & ex volun-
 tate, & ex oratione, aut libera, aut expressa: in quo
 insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quæ sita. Sed de
 inuentione satis dictum: vereor ne plus quam par
 fuerit. Omnis enim illa de inuentione, seu locis tra-
 ctatio ad dialecticum pertinere videtur. Inueniendi
 ratio in commune petenda est à dialectico, vt elocu-
 tio à Rhetore. Attamen quod non est datum omni-
 bus hoc à natura: vt per se & suo (quod aiunt Marte)
 inuenire possent, quibus & sua confirment, & aliena
 refellant: opus est adminiculo artis, & præceptis in-
 ueniendi, quæ quidem non magis à rhetoribus ex-
 plicari docerique debent, quàm à poëtis, philoso-
 phis, & aliis scriptoribus. Hinc fit, vt necessitas quæ-
 dam nos impulerit de inuentione dicere: non qui-
 dem in vniuersum, sed hætenus quatenus nostro
 instituto satis esse putauimus.

De Dispositione.

DISPOSITIO, non immeritò secunda quin-
 que partium, ordo est, & distributio rerum,
 quæ demonstret quid quibúsque locis sit collocan-

dum. sub qua iudicium comprehendimus, quod maxime in disponendis, collocandisque rebus eluceat. Hic autem iudicium est, æstimatio quædam, & prudentia erudita naturæ, & arti admixta, quæ nos admonet, ut argumenta contraria vitemus, profutura quæramus, communia negligamus, propria studiose paremus, stulta relinquamus, acuta venemur. Itaque tam necessarium est, ut sanguis orationis dici possit. ut enim firma corporis constitutio, non sine sanguine, nec oratio viro eloquente digna sine iudicio stare potest.

De Elocutione.

ELOCUTIO, quam Cicero in Partitionibus orationem appellat, quod illa pars sit, unde nomen duxerit eloquentia, est idoneorum verborum, ac sententiarum ad inuentionem accommodatio, quæ Græce *ῥησις* dicitur. Cuius duo genera sunt, vnum sua sponte fusum, alterum versum, atque mutatum. Genus sua sponte fusum est, quod ipso naturæ impetu proicitur numero, ac lege componendi solutum. ut Milo occidit Clodium in via Appia. Alterum versum, atque mutatum, quod verba aut orationem in plura dilatat, aut contrahit, vel orationis ordinem commutat, ut Cæsus est à Milone Clodius in via maiorum suorum. Prima vis est in simplicibus verbis. in coniunctis secunda. Simplicia inuenienda sunt. Coniuncta collocanda. In his intuendum est, ut emendata, ut collata, ut figurata sint. In illis, ut sint latina, perspicua, ornata, & ad id quod

efficere volumus, accommodata. Simplicia autem verba partim natiua sunt, partim reperta: natiua ea, quæ significata sunt sensu. Reperta, quæ ex his facta sunt, & nouata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum. Huic parti figuræ tribuuntur. Figura autem est, conformatio quædam orationis, remota à communi, & primum se offerente ratione, vt allocutio. Cuius tres formæ sunt. Ethopœia, Idolopopœia, Prosopopœia. Ethopœia vt qualia verba Hercules Eurysteo sibi imperante faceret. Idolopopœia, Latine simulacri fictio, quæ personam habet notam, sed defunctam, & loqui non potentem, vt apud Vergilium, Heu fuge nate Dea, teque his eripe flammis: Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia. Prosopopœia, Latine fictio personæ, quæ fit, quando alicui rei contra naturam datur persona loquendi, vt in Catilinam Cicero, Si patria, quæ mihi mea vita multo charior est, si tota Italia, si Respub. mecum sic loquatur: Marce Tulli quid agis? Præterea complexio, quum & repetatur idem in primum verbum, sæpius & crebrò ad idem postremum reuertamur, vt quem senatus damnarit, quem populus Romanus damnarit, quæ omnium existimatio damnarit, eum vos sententiis vestris absoluetis? κλμαξ, Latine gradatio, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quàm ad superius conscensum est, vt quæ reliqua spes libertatis manet, si illis & quod libet, licet, & quod licet, possunt, & quod possunt audent, & quod audent,

faciunt, & quod faciunt, molestum non est. Similiter cadens, est exornatio, cum in eadem constructione verborum, duo plura sunt verba quæ similiter iisdem casibus efferuntur. vt Catilinam absoluis patriæ hostem, Reipub. coniuratorem. Articulus, est cū singula verba interuallis distinguuntur cæsa oratione, vt aduersarium odio, potentia, cōtumelia, minis vicisti. Incrementum, est exornatio quæ gradibus quibusdam se attollere videtur, & crescere. vt Cicero in Verrem, Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? *μεῖορ μὲν*, Latine distributio, vt huius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimæ, oculi ad petulantem lasciuiam, manus ad rapinam, venter ad auuiditatem, virilis naturæ membra ad omne genus corruptelæ: pes ad fugam, prorsus vt ex hoc vitia, aut ipse ex vitiis ortus esse videatur. *συνεθετορ μὲν* fit singulis verbis, aut plurium verborum coniunctione. Singulis, vt cum Athenas proficisci statueret, plura simul eum reuocabant, parentes, patria, consuetudo, familia. Coniunctione plurium verborum, vt hunc vobis mulctandum censeo, cum conscientia male actæ vitæ eum vehementer stimulet, futurum mortis periculum, commune opprobrium. Repetitio (vt ait Rufinianus) est eorundem verborum simul positorum, eiusdemque sententiæ post multa interiecta, cum aliqua periodi conclusione. vt huc pater accurre, insignis tibi cedit Apollo, Cedit & alma Ceres, ful-

gēnsque Minerua, pater accurre. Διαφορὰ (vt scribit Rutilius Lupus) est cum verbum alio sensu iteratur, quam prius dictum est, vt mulierem, quid potius dicam, aut vberius, quam mulierem. Ἀπειρία Latine addubitatio, cum quærere videtur orator vtrum de duobus potius, aut quid de pluribus dicat, hoc modo: obfuit hoc tempore plurimum Reipub. consulum siue stultitiam, siue malitiam dicere oportet, siue vtrunque. Ἀποστροφὴ, Latine sermonis conuersio. vt in oratione pro Ligario. Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? Ἐπαναφορὰ, iteratio Latine, quæ multum habet venustatis, tum grauitatis & acrimoniæ plurimum. vt si hoc modo in Ciceronem Clodius ageret, Tu ciues Romanos, vt Catilinam vrbe eiecisti, Tu ciues Romanos vt Cethegum in carcere strangulasti, leges omnes rupisti. Ἀπ'φασις, vbi quasi alio interrogante nobis ipsis respondemus, & rationem reddimus. vt agam tecum iure summo, non dicam, quod forsitan obtinerem. Epiphonema, sententia est, quæ in fine expositæ rei cum affectu enunciatur, vt Cicero in Verrinis: Non vitam liberam, sed mortis celeritatem precabantur. Διαλογισμὸς fit, cum quis secum disputat, inquirítque quid agat, & quid agendum putet. vt en quid ago? rursus ne procos irrita priores experiar. Compensatio, cum aliquid difficile & contrarium confitendum est, sed contra non minus firmum obiicitur. vt difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis. ῥ' ἑπὶ πῶσις, euidentia & illustratio: quæ proposita

quædam forma est rerum ita expressa verbis, ut cer-
 ni potius videatur, quam audiri, ut ipse inflamma-
 tus scelere, ac furore in forum venit, ardebant oculi,
 toto ex ore crudelitas emanabat. σαρκασμὸς ironiæ ge-
 nus, cum aduersariorum facta, exacerbatione ad-
 missi eorum laceessimus. Latine dici potest hostilis
 irrisio. ut Referes ergo hæc, & nūcius ibis Pelidæ ge-
 nitori, illi mea tristitia facta, Degeneremque Neopto-
 lemmum narrare memento. ὑπεβολή, oratio superans
 veritatem rei, augendi, minuēdique causa. ut Ante le-
 ues ergo pascuntur in æthere cerui, Et freta destituēt
 nidos in littore pisces. Frequentatio est, cum res in
 tota causa dispersæ, in vnum coguntur locum, quo
 grauior, aut acrior, aut criminosior sit oratio. ut à
 quo tandem abest iste vitio? Quid est iudices cur ve-
 litis eum liberare? suæ pudicitia proditor est, & infi-
 diator alienæ cupiditatis. Cupidus, intemperans, su-
 perbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infe-
 stus in cognatos, in superiores contumax, in inferio-
 res crudelis: denique in omnes intolerabilis. Conti-
 net autem figura tropos, & ut grammatici loquun-
 tur Schemata. Est autem tropus, sermo à naturali,
 & principali significatione translatus ad aliam, or-
 nandæ orationis gratia: vel ut plerique grammatici
 finiunt, dictio ab eo loco in quo propria est translata
 in eum in quo propria nō est, ut ἁντονομασία, cum poë-
 tam pro Homero, aut Virgilio dicimus. Catachri-
 sis, si dicas parricidam pro eo qui propinquum in-
 terfecit: παρανομασία si pro amente amantem dixeris.

quorum explicatio cum grammaticorum sit, de iis satis iam dictum est. In coniunctis autem verbis duo maxime tenenda sunt, numeri & consecutio verborum. Numeros aures ipsæ metiuntur: ne aut non compleas verbis, quod proposueris: aut redundes. Consecutio autem verborum, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Pedes autem sunt Anapæstus & Dactylus, quibus in principiis parens eloquentiæ sæpe usus est. ut pro Cluentio. Animaduerti iudices & primo officiorum. Principio generi animantiū. In fine periodi Philosophus Pæana probat, ut temeritas. Marcus Cicero Criticum, ut profitentur, sed ad memoriam transeamus.

De Memoria.

MEMORIA, est firma animi rerum, & verborum dispositionis perceptio. Ea duplex est, vna naturalis, altera artificiosa. Naturalis est ea, quæ nostris animis insita est, & simul cum cogitatione nata. Artificiosa est ea, quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Hæc constat ex locis, & imaginibus. Locos appellamus eos, qui breuiter, perfectè aut natura, aut manu sunt absoluti: ut eos facile naturali memoria comprehendere, & complecti queamus. Imagines, sunt formæ quædam, & notæ, & simulachra eius rei, quam meminisse volumus. Huius autem memoriæ Simonides primus author fuit.

De Pronunciatione.

PRONVNCIATIO est vocis vultus, & gestus moderatio cum venustate. Eius duas partes faciunt, vocem, atque motum. Vox fere tragædorum in oratione esse debet, vnde documento nobis erunt scenici actores, quæ optimis poëtarum tantum adiiciunt gratiæ, vt nos infinite magis eadem illa audita, quam lecta delectent. Motus totius corporis esse debet, rebus ipsis accommodatus. Nam affectus omnes languescant necesse est: nisi voce vultu, totius prope habitu corporis inardescant. Hæc pars oratori valde necessaria est, quod sine ea quæ secum inuenit, postea disposuit, consequenter elocutus est, postremo memoriæ mandauit, languere viderentur, & minimam consequi dignitatem. Vnde nō immeritō Demosthenes potiore partem dicendi, sæpius pronunciationem protulisse dicitur. Nunc explicatis singulis Rhetoricæ partibus, (in quibus tota vis oratoris posita est) ad officii eius explicationem accedam.

De Officio Oratoris.

OFFICIUM est, quod præstare debet orator, vt finem suum consequatur. Tria autem eius sunt officia, probare, delectare, & flectere. Probare, necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Hæc tria, ad illud summum, & præclarum officium, quod est benedicere, referuntur. Quod offi-

cium dico, ad finem artis consequendum, quod est persuadere. Nec pugnat, quod Fabius benedicere finem constituat. nam duplex finis est, vnus artis, alter artificis, hic bene dicere est, ille persuadere. Hunc postremum, etsi orator non semper consequatur, non tamen desinet orator esse, cum hæc omnia præstiterit quæ ad finem hunc consequendum necessaria videbantur. Verum quum orator hæc orando tantum præstare possit, de oratione eiusque partibus vltimo loco aliquid dicendum est.

De Oratione.

ORATIO præcipuum instrumentum est oratoris, quæ rhetorice vocatur. Hæc perpetua, atque sublimis, violenta, concitata, ornata, copiosa: ideo à Cicerone nonnunquam contentio appellatur. nam fluctuat, velut inter æstus iracundiæ, & admittit omnes animorum motus, quos homini natura tribuit. Cuius quatuor sunt partes, quarum duæ valent ad rem docendam, narratio, & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio, de quibus, vt singulæ facilius innotescât, singulatim quidpiam scribemus.

De Exordio.

QUOD principium Latine, vel exordium dicitur, Græci videntur proæmium nominasse. Exordium est oratio, animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem. Quod eueniet,

si eum beneuolum, attentum, docilem fecerit. Quare, qui bene exordiri uolet eum necesse erit genus accidentis causæ suæ diligēter ante cognoscere. Quinque autem accidentium causarum genera ante diximus, honestum, admirabile, anceps, humile, obscurum. Honestum causæ genus est, cui statim sine oratione nostra auditoris fauet animus. Admirabile, à quo alienatus est animus eorum, qui audituri sunt. Anceps, in quo causa est & honestatis & turpitudinis particeps, aut beneuolentiam parit, & offensionem. Humile, cum contempta res adfertur. Obscurum, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa implicita est. Quocirca, quum tam diuersa sint genera, exordiri quoque dispari ratione in vno quoque genere necesse est. Verum, quo facilius disparem exordendi rationem discamus, in duas partes exordium diuidemus, in principium, & insinuationem. Principium est, in quo perspicue, & protinus auditorum animos conciliamus. Insinuatio, in qua occultè, & dissimulanter subimus animos auditorum, Græce *ἐφοδος* vocatur. Beneuolentia quatuor modis comparatur, à nostra, ab aduersariorum, ab iudicum persona, ab ipsa causa. A nostra persona primum, si nostrum officium citra arrogantiam commemoremus, si crimina illata, & aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluamus, si, vel cognationis, vel amicitiae, & maxime Reipub. vel si alia quapiam honesta causa, ut liberalitatis, iustitiæ, fidei, ad dicendum

inductos esse dicamus. Ab aduersariorum persona, si eos aut in odium, aut in inuidiam, aut in contem-
ptionem adducemus. In odium adducentur, si quid
superbe, crudeliter, malitiose factum proferetur. In
inuidiam, si vis eorum, potentia, cognatio, pecuniæ
proferentur: atque eorum vsus arrogans, & intolera-
bilis, vt his rebus magis videantur, quàm causæ suæ
confidere. In contemtionem, si eorum inertia, ne-
gligentia, ignauia, luxuriosum otium proferetur.
Exempla tibi sunt in promptu in defensione Vlyf-
sis contra Aiacem. Ab auditorum persona beneuo-
lencia captabitur, Si res ab his fortiter, & sapienter
gestæ proferentur, sine nimia assentatione, quæ a-
nimis bene cultis parit molestiam. A rebus ipsis, si
causam nostrā laudādo extollemus, & aduersariorū
causam vituperando, eleuemus. Attentio parabitur,
si res agi videatur noua, magna, atrox, pertinens ad
exemplum. Præcipue tamen, si iudex aut sua vice,
aut Reipub. cōmoueat, cuius animus spe, metu,
admonitione, precibus, vanitate denique, si id pro-
futurum credimus, agitandus est. Docilitas, si bre-
uiter, & dilucide summam rei, de qua cognoscere
debeat auditor, iudicauerimus. quod Homerus atq;
Virgilius operum suorum principiis faciunt. In ho-
nesto accidentis causæ genere, cōciliatione vix opus
est. In turpi, insinuatione vtemur. In dubio & anci-
piti, beneuolentiam captabimus. In humili, facie-
mus attentos. In obscuro, dociles. Quæ cum præ-
stiterimus, præterea dabimus operam, ne exordium

fit vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum. Vulgare, quod in plures causas accommodari potest. Id minus fauorabile, aliquando tamen non inutiliter assumimus, à magnis sæpe oratoribus non euitatum. Commune appellatur, quo & aduersarius vti potest. Commutabile, quod aduersarius in suam vtilitatem deflectere potest. Longum, quod pluribus verbis, aut sententiis, vltra quàm satis est producit. Separatum, quod causæ non coheret. Translatum, quod aliud conficit, quam causæ genus postulat. vt si docilem faciat auditorem, cum benevolentiam causa desiderat: aut si principio vtatur, cum insinuationem res postulat. ac de exordio satis dictum est.

De Narratione.

NARRATIO est rerum gestarum, aut vt gestarum expositio. Cuius quatuor formæ sunt (vt Prisciano placet) fabularis, fictilis, historica, & ciuilis. Fabularis, ea est, qua poëtæ sæpius vti solent. Fictilis, qua comici & tragici, quam argumentum appellat Cicero. Vt apud Terentium. Nam is postquam excessit ex Ephebis, Sofia, liberius viuendi fuit potestas, &c. Historica, tota veritatis plena est. Est enim historia, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Cuius leges sunt, ne quid falsi dicere audeat Historiographus: deinde non vere non audeat, ne qua suspicio sit gratiæ in scribendo, ne qua etiam sit simulta-

tis. Ciuilis narratio, quæ ab oratoribus in exponendis sumitur causis, quam Cicero in Partitionibus sedem, & fundamentum fidei faciendæ appellat. Tres autem narrationis virtutes sunt, claritas, breuitas & verisimilitudo. Narratio clara erit, si fuerit primum exposita verbis propriis, & significantibus, atque, si singula, quo gesta sunt ordine, eodem explicentur, & sic narrentur, vt res gestæ oculis subici videantur, per euidentiā, & illustrationem. vt apud Virgilium, hæc dicens,
Altaria ad ipsa tremementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati
Implicuitque comam læua, dextraque coruscum,
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensē.
Breuis erit, si inde ceperimus rem exponere, vnde ad iudicem pertinet: deinde si nihil extra causam dixerimus, & vna quæque res semel tantum dicatur. Verisimilis, si prius consuluerimus nostrum animum, ne quid naturæ dicamus aduersum, & quod hominum fidem excedere videatur. Narratione autem, & in demonstratiuo, & in iudiciali genere utimur. In deliberatiuo nunquam, quum deliberatio sit futurarum rerum, narratio verò præteritarum. Attamen, narratio esse poterit rerum extrinsecus sumptarum, quæ ad causam quodammodo pertinere videbuntur. In iudiciali genere, si narratio tota molesta est, relinquenda erit: si vero non omnino molesta, quod nocebit, erit obscurandum, aut amputandum. In demonstratiuo genere, narratio tem-

porum gradus tenendi sunt, vt quid in adulescentia gestum est primum exponatur, deinde quid in florente ætate, postremò quid in senectute. Ac eiusmodi narratio laudabilis erit, si omnibus orationis lautiis, atque opibus, & iucunda rerum, & verborum varietate efflorescat.

De Confirmatione.

CONFIRMATIONIS nomine Cicero sæpius probationē intelligere videtur. Cuius duæ sunt formæ, Confirmatio, & Confutatio. Hæc destruit, Propterea (vt Aphthonio placet) est per quam argumentando aduersariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuiatur, illa construit, quæ est propositæ rei comprobatio. Argumentis autem, quæ ex locis eruuntur nostra confirmantur, & infirmantur aliena: quibus in collocandis adhibendum est iudicium, vt leuia reiiciantur, nōnunquam communia, at nō necessaria. Quod si necessaria non supeditent, leuium, & communium sylua vtendum erit, quæ ad rem docendam simul valere poterunt. At si leuiora quædam sint, numerosum componas exercitum, cuius in anteriore & posteriore acie firmiora sint, & magis valida. In media, quæ leuiora erunt, vt iis quæ in priore, & posteriore acie collocata sunt defendi & confirmari queant. Itaque in hac parte tota spes vincendi, ratioque persuadendi posita est, quod facile dicere poteris, si cuiusque causæ constitutionem (de qua ante diximus) intelligas.

De Peroratione.

PERORATIONEM, siue conclusionem appellant, artificiosum terminum orationis. Cuius tres partes sunt, epilogus, amplificatio, affectus: vel quod idem est, enumeratio, indignatio, conquestio, aut cōmiseratio. Epilogus est, brevis repetitio præcipuorum capitum totius orationis. Amplificatio est, quoties rem aliquam grauiorem, quàm est, efficiamus. Affectus est, commotio quædam vel perturbatio animi. Est autem duplex, *πρόδος*, quando auditorum animi vehementer concitantur, & *ἡσδος*, cum leniter solum permouentur. Hoc comœdiis, illud tragoediis familiare est, in quibus grauissimorum affectuum genere utimur.

HÆC sunt, (humanissime lector) quæ de arte rhetorices mihi dicenda videbantur: quæ si iterum, atque iterum legeris, si non optima, saltem minime tibi negligenda forsitan percipies.

F I N I S.

Epistola que infantes amicos
quod timent ^{vident} famula ^{infans} ^{infans}
etiam, pro ^{infans} ^{infans} ^{infans}

[illegible]